

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

Qui D. Johannis Gerhardi Continuationis Partes Tertiam, Quartam,
Quintam, Eamque postremam complectitur - Denuo nunc in Lucem prodit,
Cum jndicibus ...


**Gerhard, Johann
Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617819

Dedicatio In Tomo Tertio Partis Teritiæ.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17617



DEDICATIO IN TOMO TERTIO
PARTIS TERTIÆ,

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO,

DN. CHRISTIANO,
MARCHIONI BRANDENBURGENSI,
BORUSSIÆ, STETINI, POMERANORUM, CASSU-
BIORUM, VANDALORUM, AC CROSNÆ ET JÆGERNDORFF
IN SILESIA DUCI, BURGGRAVIO NORINBERGENSI AC PRINCIPI RUGIÆ, &c.
PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

Gratiam & Pacem à Deo Patre per Christum in Spiritu sancto P.



Illustrissime ac Celsissime Princeps, Domine Clementissime, in præfatione partis secundæ operis Harmonici Tom. II. continuati, argumentis, ut arbitror, non contemnendis, manifestum feci, inter annos vitæ Christi in his terris actæ & inter Jubilæos Ecclesiæ Nov. T. collationem institui posse, quam ibidem usque ad annum vitæ Christi vigesimum nonum, cui Jubilæus Ecclesiæ vigesimus nonus in annum à nato Christo millesimum quadringentesimum incidens, respondet, stylo plano ac simplice perduxi, consequens est, ut reliqua collationis istius membra brevibus pertexam. Quemadmodum ergo anno vitæ Christi vigesimo nono Johannes Baptista munus docendi & baptizandi Dei voluntate exorsus taxatis Pharisaicis superstitionibus ac corruptelis pœnitentiæ prædicatione viam Christo paravit, Matth. 3. v. 2. & 3. convertens hoc modo corda Patrum ad filios, & inobedientes ad prudentiam justorum, Luc. 1. v. 17. hoc est, efficiens ministerio suo, ut Judæi illius temporis, qui à doctrina, fide ac religione majorum suorum, Patriarcharum scilicet ac Prophetarum, defecerant, ad pristinam divini cultus sinceritatem revocarentur: ita quoque in Jubilæo Ecclesiæ vigesimo nono, puta circa annum Christi millesimum quadringentesimum decimum quintum Johannes Huss & Hieronymus Pragensis, taxatis crassioribus quibusdam erroribus Pontificiis, ad veram antiquitatem, videlicet ad Scripta Prophetica & Apostolica, adeoque ad doctrinæ cœlestis sinceritatem auditorum suorum animos revocarunt, qua de re testantur Scripta, quæ adhuc hodiè in operibus Hussi & Hieronymi Pragensis extant, utpote in tomo primo, de sanguine Christi sub specie vini à Laicis sumendo, p. 42. de sufficientia legis Christi ad regendam Ecclesiam, p. 44. de Indulgentiis, p. 174. de Antichristo & membrorum ejus anatomia, p. 336. de Sacerdotum & Monachorum horrendâ abominatione desolationis in Ecclesia Christi, p. 376. de abolendis sectis & traditionibus hominum, p. 472. de perniciose traditionum humanarum, p. 473. & qui sunt hujus generis alii tractatus. Sed eandem hi duo præcones & testes Evangelicæ veritatis experti sunt sortem, quam Johannes Baptista olim mercedis loco percepit. Ut enim is impulsu meretricis Herodias capitis supplicium adire fuit coactus: sic illi Romanæ Thaidis ac Babylonice meretricis suavis, hortatu, impulsu, flammis ustulati suo sanguine cœlestem veritatem obsignarunt. Nec absurdè statuitur, per ministerium Johannis Hussi initium repurgationis doctrinæ Dei beneficio factum fuisse. Notum enim est, quid ipse paulò ante mortem ann. 1415. Spiritu Prophetico vaticinatus fuerit, referente Stumpffio, in Chron. Helvet. Hodie (dixit) anserem uritis: (Huss enim in lingua Bohemorum anserem significat,) sed post centum annos ex cineribus meis nascetur cygnus, quem non poteritis assare. Hisce verbis D. Lutherum velut exercitæ digitis notatum fuisse ipse eventus, vaticiniorum interpres certissimus, clarissime Harm. Tom. III. sive Gerhardi Cont. pars tertia edocuit.

EPISTOLÆ

edocuit, unde etiam Lutherus, in glossa super Edict. Cæsaris hoc vaticinio sese maximo-
 rē solatur, insultans hostibus suis, quod tot machinationibus, insidiis & persecutionibus ipsi
 prevalere haud possint. In Historia vitæ Johannis Hussi, tomo primo operum præmissa
 commemoratur, quod paulò ante beatum suum ex his terris abitum ad Nobilem quendam
 ab Oppenheim dixerit: Hic fuit scopus & præcipuus finis meæ doctrinæ, ut docerem homines
 pœnitentiam & remissionem peccatorum secundum veritatem Evangelii Jesu Christi & ex-
 positionem sanctorum Doctorum, quamobrem ego jam læto & hilari animo mori paratus
 sum. Eandem verò fuisse summam, eundemque finem & scopum doctrinæ Johannis Bapti-
 stæ, testatur Matthæus, summam omnium ipsius concionum hoc aphorismo complexus: Agite
 pœnitentiam, appropinquavit enim regnum cœlorum, Matth. 3. v. 2. Eodem Spiritu Prophe-
 tico etiam Hieronymus Pragensis Lutheri reformationem prædixit: Cùm enim die quadra-
 gesimo post Præceptorem suum ibidem Constantiæ exureretur, sonora voce exclamavit: Post
 centum annos Deo & mihi respondebitis, referente Poggio supplicii spectatore in Epistola
 ad Leonem Aretinum omnium lectione dignissimâ. Quemadmodum ergo Christus, cùm
 inciperet esse annorum triginta, baptizatus in Jordane voce cœlitus delatâ vocationem ad mi-
 nisterium suum accepit, ac docendi munus aggressus corruptelas Pontificum, Scribarum &
 Phariseorum animose taxavit: sic in Jubilæo Ecclesiæ trigésimo, hoc est, decimo quarto post
 natum Christum seculo ad finem decurrente preparatoria reformationis cœperunt. Artes
 enim & linguæ ex Monachali barbarie eluctari cœperunt operâ Capnionis, Agricolæ & alio-
 rum, ac fundatæ sunt Academiæ complures, in quibus postmodum Evangelica de Christo
 doctrina fuit propagata ac propugnata, utpote Academiâ Lipsiensis Anno 1409. Rostochi-
 ensis Anno 1419. Gryphisvaldensis Anno 1456. Basileensis Anno 1465. Tubingensis Anno
 1477. Haffnienfis Anno 1478. Wittebergensis Anno 1502. Sed & Anno 1440. ars Typo-
 graphica fuit excogitata à Johanne Guttenbergio, Argentinenfis, Moguntiæ primum publica-
 ta, teste Aventino, lib. 8. Annal. quo libros describendi compendio repurgationi doctrinæ ad-
 jumentum haud mediocre allatum esse nemo facillè inficias iverit. Anno 1483. natus est Mar-
 tinus Lutherus, eo ipso scilicet anno, quo Hieron. Savaranola magnus ille divinæ misericor-
 diæ præco Florentiæ fuit exustus. Anno 1485. natus Joh. Bugenhagius Pomeranus fidelis
 Lutheri parastates. Circa idem tempus, ac non multò post, nati sunt Justus Jonas, Joh. Brentius
 & alii complures, quorum operâ postmodum doctrina cœlestis à corruptelis Pontificiis fuit
 repurgata. Quid? quod Wolfsius Cent. 1. Lect. memorab. statim in princip. notat, nomen
 Christi in numeros redactum dare annos 1480. siquidem π . notat 600. ρ . 100. ι . 10. σ . 200.
 τ . 300. θ . 70. κ . 200. qui numeri in unam summam collecti efficiunt 1480. Nam circa
 finem seculi à Christo nato decimi quarti omnes Vates & Prophetæ Lubertus Hanschild, Wes-
 selus, Vincentius, Purveus, Barath, Capistranus, Torquatus, Savanarola, Fr. Nicolaus Eremita,
 Albertus Leicheisen, Fr. Fleck, Jacobus de Paradisa, Wessalia, Capgravus, Hermannus,
 Rid, Baptista Mantuanus, Rickel, Laurentius Miniatenfis, D. Johannes Scheyringius,
 Hiltenius Monachus Isennacensis, Horius, Bovillus, Syringus, Andreas Proles, Mancin-
 nellus, Mellerstadius, Castrick, Salhusius, aliique plurimi uno quasi ore clamârunt: Abu-
 sibus ac sordibus traditionum Papalium miserè defœdatur, obliteratur, & penè ex Ec-
 clesia amissum esse Evangelium, ac prædixerunt, instare reformationem Ecclesiæ ac reli-
 gionis, ac brevi futurum, ut doctrina Evangelica ab inquinamentis ac sordibus illis emen-
 detur, & lux divinæ veritatis iterum inclarescat, quorum omnium vaticinia enumerare,
 operæ quidem foret non inutilis, sed tamen prolixioris & huic loco minus convenientis.
 Quemadmodum enim Christus antio ætatis trigésimo primo currente alacriter munus
 suum obiit, liberè prædicans Evangelium in Judæa & Galilæa, colligens discipulos, &
 Phariseorum corruptelas acriter arguens, unde Mal. 3. vers. 2. confertur igni excoquenti
 scorias argenti & saponi vestium linearum sordes eluenti: Ita quoque Jubilæo Ecclesiæ tri-
 gésimo primo, hoc est, decimo quinto à nativitate Christi seculo currente clara Evangelii
 prædicatio & Pontificiarum corruptelarum taxatio liberè in Ecclesia sonuit. Anno
 enim Christi 1517. Lutherus contra Indulgentias disputare & Papatum oppugnare cœ-
 pit, tangens hoc pacto coronam Papæ & ventres Monachorum, cui in reformationis opere
 alii fideles parastatæ sese statim conjunxerunt, unde Evangelica veritas ex tenebris Pontificiis
 emergens in apricam lucem singulari Dei beneficio fuit reducta. Ac veluti Historica gesto-
 rum Christi commemoratio ab anno ætatis trigésimo usque ad gloriosum tempus ascensionis
 narratione vivâ, floridâ & luculentâ ab Evangelistis pertexitur: sic à tempore repurgatæ do-
 ctrinæ ea regnat Ecclesiasticorum certaminum, motuum & actionum claritas, quæ usque ad
 novissimum diem sese exporriget. Jucundum verò est intueri, quàm exactè statui Ecclesiæ
 ante publicum Christi ministerium respondeat status Ecclesiæ ante repurgationem doctrinæ,
 per Lutherum & ipsius Symmystas factam. Cùm Christus docendi munus aggrediretur, tri-
 stissima erat Ecclesiæ Israeliticæ facies. Doctrina legis Pharisæicis corruptelis miserimè erat
 depravata, Evangelii doctrina de gratuita peccatorum remissione penitus sepulta: Traditio-
 nes humanæ æquabantur Verbo Dei, docebantur homines, legem Dei perfectè impleri posse,
 tribuebatur justificatio meritis operum, interiores pravæ concupiscentiæ non referebantur in-
 censum peccatorum, ablegabantur homines ad satisfactiones proprias, quæ omnia ex Evange-
 lica

D E D I C A T O R I Æ.

lica Historia concertationes Christi cum Phariseis & Scribis explicante sunt manifesta. Eadem verò dogmata in cathedris templorum & Scholarum ante Lutheri reformationem dominabantur ac propugnabantur, ut ex Historiis illorum temporum & praxi Papatus manifestè constat. Refert Josephus, libr. 1. 8. antiq. cap. 2. & lib. 2. de bell. Judaic. cap. 7. Judæos jam inde à multis retro seculis in tres Sectas fuisse divisos Essenorum, Sadducæorum ac Phariseorum. Esseni à communi hominum societate separati vivebant, facultates habebant communes, nec uxores, nec servos, in cœnobium suum admittebant. Illis tantâ similitudine conjuncti sunt Monachi, ut Eusebius, lib. 2. Hist. Eccles. cap. 17. per similitudinem illam in errorem inductus statuat: Essenos illos, quorum *δοκίμοι* Philo & Josephus describunt, fuisse Christianos, cum itidem ut Monachi degant in Monasteriis, canant *αιτιφωνα*, de sonant facultates, legant Scripturas sacras, sint continentes, conveniant ad *σεμνείον* orandi gratiâ, celebrent pervigilium paschale cantantes hymnos, habeant Diaconos & Episcopos. Sed hunc Eusebii errorem Josephus Scaliger, in eruditiss. suis animadversionibus validissimis argumentis confutavit. Patrocinium Eusebii suscepit Nicolaus Serarius, Jesuita Moguntinus, in libro trihæresium, cap. 17. sed argumentis perquam leviculis, quorum infirmitatem demonstrare præsentis non est instituti, sufficit nobis, Monachos Pontificios tantâ similitudine & affinitate Essenis Judaicis conjunctos esse, ut in ordinem suum spontè eosdem cooptent. Sadducæorum opinio erat, cum corpore extingui animas, non esse Angelum, nec Spiritum, nec resurrectionem mortuorum, Act. 23. v. 8. Hujus Sectæ pauci sunt, sed ferè dignitate præcipui, inquit Josephus, d. l. ac colligitur ex Act. 5. v. 17. Summos Pontifices Hierosolymitanos ut plurimum fuisse Sadducæos. Comparabimus igitur cum Sadducæis Pontifices Romanos, quorum vita flagitiosa ostendit, quid de animarum immortalitate & corporum resurrectione statuerint. Quinimò Sadducæas illas opiniones perspicuis verbis aliquando erustarunt. De Johanne XXIII. Concilium Basileense, sess. 11. sub finem tom. 4. Concil. Venet. fol. 294. sic loquitur: Sæpè & sæpiùs coram diversis Prælatiis & aliis honestis & probis viris pertinaciter Diabolo suadente dixit, & asseruit, & dogmatizavit, & astruxit, vitam æternam non esse, neque aliam posthanc, quinimò dixit & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore extingui & mori instar brutorum animalium, dixitque mortuum semel etiam in die novissimo minimè resurrecturum. Leo X. sub cujus Pontificatu reformationis opus cœpit, ingentem quandam pecuniarum thesaurum Cardinali Bembo ostendens dixit: Vide, quantum nobis profuerit fabula de Christo! Idem cum aliquando duos Philosophos de animarum immortalitate disceptantes audiret, respondit: Partem quæstionis negantem sibi videri omnino probabiliorem: ac moriturus dixit: Brevi se re ipsa experturum, num anima immortalis sit, nec ne? Refert Georgius Sapius, quod in aulam hujus Pontificis veniens, à Bembo Cardinali, ad quem commendatitiis Phil. Melanchtonis literis instructus accedebat, ad colloquium & mensam admissus fuerit, ac Bembum inter cætera hoc potissimum quæsi visse: Quidnam sentiret Philippus de resurrectione mortuorum & vita æterna. Cumque ipse respondisset: Extare publica Philippi scripta, in quibus videre sit certam ejus de his fidei articulis *πληροφωρίαν*, subjecit Bembus: Ego Philippum haberem virum prudentiorem, si hoc non crederet, ex quo intelligitur, quid hic Cardinalis cum suo Pontifice in scrinio pectoris statuerit. Et quid multis? Panormitanus, celebris Canonista, jam olim conquestus est, multos Pontifices ejusmodi vitam agere, ut verisimile non sit, ipsos vel resurrectionem, vel vitam æternam credere, ac proinde cum Sadducæis meritò conferendos esse. Cum Phariseis Clericos Pontificios comparamus, id quod jam olim ab aliis factitatum. Johannes Sarisberiensis, qui vixit anno Christi 1170. in Polycratico sive de nugis Curialium sic scribit: Sedent in Ecclesia Romana Scribæ & Pharisei ponentes onera importabilia in humeros hominum. Pontifex magnus omnibus gravis & penè intolerabilis est. Ita debacchantur ejus Legati, ac si ad flagellandam Ecclesiam egressus sit Satan à facie Domini. Nocent sæpiùs & in eo Diabolo sunt perfimiles. Apud eos Judicium nihil est, nisi publica merces. Quæstum omnem reputant pietatem. Justificant pro muneribus Impium. Afflictas gravant conscientias, argento & auro mensas ornant & exultant in rebus pessimis, siquidem peccata populi comedunt, eis vestiuntur, & in eis multipliciter luxuriantur. Innocentius, qui vixit seculo decimo tertio, serm. 2. in die cinerum hancce profert querelam: Funiculus superbix peccatis nostris exigentibus, ita nos detinet alligatos, ut jam magis velimus superbi quam humiles apparere, incedentes extenso collo, elevatis oculis, erectâ cervice, magnificantes fimbrias, phylacteria dilatantes, quærentes primos recubitus in cœnis, primas cathedras in Synagogis, & vocari ab hominibus Rabbi, quæ verba in Phariseos dicta extant, Matth. 23. v. 5. & 6. in quem locum Erasmus p. 71. sic annotat: Etiam hodiè apud nos habentur, qui diversis ac novis cultuum formis & coloribus sanctimoniam apud vulgus profitentur, &c. Atque utinam hoc histriionum genus non adeò passim esset apud Christianos, ad quos collati Pharisei sinceri simplicesque queant videri, &c. Et quid pluribus, si doctrinam sive vitam Phariseorum aliquis respiciat, eandemque cum Clericis Pontificiis conferat, tantam deprehendet conditionem, ut jurare fortè audeat, animas Phariseorum Judaicorum per Phythagoricam quandam *μετεμύχουσι* in Clericos Pontificios immigrasse, ut D. Eckhardus in peculiari libello, cui titulum fecit, Papa Pharisaizans, pluribus demonstrat. Solent Pontificii Scriptores ad ravim usque clamare: Si doctrina Evangelicorum esset vera, Harm. Tom. III. sive Gerhard. Cont. pars tertia.

utique etiam ante Lutherum quosdam habuisset patronos: ubi delituit Ecclesia vestra ante Lutherum, in qua orbis parte, in qua urbe, in quo pago locum & sedem habuit? Sed non expendunt, idem omnino Johanni Baptistæ, Christo & Apostolis à Phariseis objici potuisse, ac reverà etiam objectum fuisse. Certum est, ex Historia Evangelica & scriptis Rabinorum, qui proximis ante natum Christum seculis floruerunt, multas & magnas in Ecclesia Israelitica inventas fuisse tenebras, ita ut publicum Ministerium nullibi locorum fuerit purum & incorruptum. Poterant igitur Pharisei eodem jure flagitare, ut ostenderetur unus aliquis cœtus, licet exiguus, qui sinceritatem doctrinæ cœlestis, prout à Christo & Apostolis prædicabantur, publicè fuerit professus, qui opposuerit se Pharisaicis corruptelis, in quo doctrina Mosaica sine figmentiis humanis & opinionibus erroneis fuerit conservata. Poterant Pharisei eodem modo arguari: Præter Judaicam & Ethnicam nulla fuit hæcenus in mundo religio. Quod si ergò juxta doctrinam Christi & Apostolorum Judaica religio, prout publicè sonuit, est corrupta, & multis erroribus contaminata, ergo vera Ecclesia deficit, ergo vera fides desit, ergo promissio Dei fuit evacuata, vel monstretur, in qua mundi plaga, in qua regione, in qua urbe, in quo pago fuerint homines, qui doctrinam Christi & Apostolorum per omnia fuerint amplexi. Sed ut Johannes Baptista, Christus & Apostoli nullà habita Pharisaici hujus argumenti ratione corruptelas doctrinæ acriter taxârunt, & prædicatione suâ corda patrum ad filios converterunt, Luc. 11. v. 17. hoc est, à traditionibus proximorum majorum ad veram Antiquitatem, ad primorum Patrum doctrinam, adeoque ad revelationem divinam in Mosis & Prophetarum scriptis annotatam provocârunt, ut hac ratione corda primorum patrum ad filios iterum converterentur, & in confessione doctrinæ esset consensus: Ita quoque Lutherus & ipsi in reformationis opere fideles parastatæ provocârunt ad veram Antiquitatem Apostolicæ doctrinæ & fidei, quæ in scriptis Evangelistarum & Apostolorum clarissimè exposita extat. Ut Christus jussit scrutari Scripturas, & ex illis de sua doctrina judicari, Joh. 5. v. 39. Phariseos & Scribas in cathedra Mosaica sedentes, hoc est, conformia doctrinæ Mosaicæ proponentes audiri, Matth. 23. vers. 3. contra verò à fermento Pharisaorum & Sadducæorum, hoc est, à falsa doctrinæ & corruptelis Mosaicæ doctrinæ superadditis caveri jussit, Matth. 16. vers. 11. ita quoque Lutherus omnes sedulo exhortatus fuit, ut Scripturas summo studio scrutarentur, & ex illis de doctrinæ Evangelica judicium ferrent. Prælatos Ecclesiæ audiendos esse dixit, sed quatenus sedent in cathedra Apostolorum, hoc est, quatenus conformia doctrinæ Apostolicæ proponunt, interim à fermento traditionum & corruptelarum superaddito studiosè cavendum esse. Factum inde, singulari & nunquam satis deprædicando Dei beneficio, ut, quemadmodum Christus in suo ministerio legem divinam pristinæ integritati restituit, nec exteriorem solum, sed etiam interiorum, ac numeris omnibus perfectam obœdientiam in ea requiri contra Phariseos legis divinæ depravatores evicit: Ita quoque fideli Lutheri & Symmystarum ejus operâ verus & genuinus divinæ legis sensus contra Pharisaicas Scholasticorum corruptelas ex scriptis Apostolicis in lucem sit productus, ut remoto velamine radiantem Mosis faciem intueamur. Quemadmodum etiam Christus & Apostoli doctrinam Evangelii de gratuita peccatorum remissione superstitionibus ac traditionibus Pharisaicis horribiliter depravatam cum primis urserunt: Ita quoque præcipuum Lutheri studium fuit, ut in articulo justificationis à Mose ad Christum, à lege ad Evangelium, à meritis humanis ad gratiam, ab operibus ad fidem homines revocaret, sicque completum fuit in ipso vaticinium Apocalypiticum, cap. 14. v. 6. Vidi Angelum volantem per medium cœli, habentem æternum Evangelium, ut evangelizaret habitantibus super terram, & omni genti & tribui & populo, dicens: Timere Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus, & adorare eum, qui fecit cœlum & terram; Cujus vaticinii singula membra in Lutherum competere eruditè ostendit Funccius, in comm. illius loci. Neque verò nobis animus, minutias minutiarum persequi, & ad specialem collationem Historiarum, quæ in Ministerio Christi triennali contigerunt, cum Historiis nostrorum temporum instituendam descendere. Quod enim de parabolis dicit Chryso-stomus, hom. 20. in cap. 20. Matth. Non esse in illis scrupulosè urgenda singula membra, sed principalem duntaxat scopum esse respiciendum; idem etiam de hac jubilæorum Ecclesiæ cum annis vitæ Christi collatione dictum volumus, quædam tamen collationis membra adducere operâ fuerit haud infrugiferâ, ubi tamen *causa monendum*, nequamquam hanc collationem inter Christum & Lutherum institui ratione personæ, sed tantum respectu officii, nec respectu omnium & singularum officii partium, sed illius duntaxat, quæ in docendo & reformando fuit occupata. Quemadmodum Christus Ministerii sui exordium fecit à prædicatione poenitentia: Agite poenitentiam, inquit, appropinquavit enim regnum cœlorum, Matth. 4. v. 17. ita quoque Lutherus primam Disputationis contra Tezeliolum Indulgentiarum æruscatorum institutæ propositionem sic orditur: Dominus noster Jesus Christus dicendo, poenitentiam agite, omnem vitam fidelium perpetuam voluit esse poenitentiam. CHRISTUS primo ministerii sui anno secessit in desertum. Lutherus profugere coactus fuit in suum Pathmum. Christus gravissimas Diaboli tentationes expertus est, de iisdem Lutherus in scriptis suis sapissimè conqueritur. Christus in primo Ministerii sui anno ementes ac vendentes è templo ejecit, & mensas nummulariorum subvertit: sic Lutherus Indulgentias Papales, retia illa pecuniarum è templo DEI, quod est Ecclesia, eliminavit, acriter taxatâ

DEDICATORIÆ.

taxatâ Romannâ Curia Simonia in vendendis Palliis, in distribuendis Indulgentiis, in concedendis Dispensationibus, in celebrandis Jubilæis, & sexcentis hujus generis aliis. Johannes Baptista digito Christum demonstravit, dicens: Ecce Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, Joh. i. v. 29. Quidnam aliud fuit Lutheri studium ac scopus, quam ut exerto quasi digito, ad unicum CHRISTI meritum fide cuius verè poenitenti respiciendum esse, docuerit? Inter Apostolos CHRISTI fuit Judas proditor. Nec Luthero defuerunt falsi fratres, de quibus in libr. contra Regem Angliæ, tom. 2. Witeberg, fol. 537. graviter conqueritur, ubi inter cætera sic scribit: Judas meus discipulorum CHRISTI distractor & proditor Domini suis technis me nondum petierat. Gliscit tandem, DEO sit honor, cujus gratiâ me obumbret. Mirabor illud Davidicum, Particeps panis mei suis pedibus me proculcat. Et iterum: Tu à latere, à consiliis meis, ex amicorum meorum numero fuisti, unâ in domo Domini deambulavimus, &c. adeo non tangere mentem meam. At nunc amara & felle tincta esculenta ac ipsis mihi præparata tandem me accepisse sentio. Habuit Christus præter Phariseos & Pontifices etiam alios potentes adversarios, quamvis primus Ministerii ipsius annus fuerit reliquis placidior, ut notat Epiphanius. Ita quoque præter Pontificem Romanum & Episcopos Pontificios potentissimi quidam Dynastæ Luthero fuere adversarij, à quorum injuriis singulari Dei beneficio immunis fuit conservatus. In primo Ministerii, ætatis trigésimo primo anno, Christus Hierosolymis in Festo tabernaculorum docens famam prædicationis suæ longè lateque sparsit: Sic in Comitibus Augustanis Anno 1530. celebratis, quæ in trigésimum primum Ecclesiæ Jubilæum incidunt, per formulam confessionis Imperatori Carolo Quinto & Romani Imperii Proceribus exhibitam, inque varias linguas transfusam fama doctrinæ Evangelicæ per totam Germaniam ac regna vicina spargi cepit, qua de re videantur Acta Historica illorum Comitiorum, quæ habentur in princ. tom. 5. oper. Lutheri Germanicorum. Incidit in principium anni vitæ Christi trigésimi secundi captivitas Johannis Baptista, qui ultra annum integrum in carcere detentus fuit. Eodem vitæ Christi anno Pharisei cum Herodianis sanguinarium de Christo interficiendo consilium ineunt, cum quo conferri possunt cruenta adversariorum consilia, Concilii Tridentini de extirpandis, quos ita vocant hæreticis, decreta, Jesuitarum Regicida, laniena Parisiensis, &c. quæ in trigésimum secundum Ecclesiæ Jubilæum incidunt, sed nolo specialius singula persequi, quæ privata cujusque meditationi pertexanda relinquo, illud solum admonens, nos hoc tempore vivere in Jubilæo Ecclesiæ trigésimo tertio, cui respondet tertius annus Ministerii idemque trigésimus tertius annus vitæ Christi in quem incidit decollatio Johannis Baptista, insidiæ ab Herode Christo factæ, ablegatio servorum Pontificalium ad capiendum Christum, furor Judæorum lapides contra Christum in templo tollentium, &c. quæ omnia ostendunt, qualis fors Evangelii Confessoribus hoc tempore impendat. Constat denique Christum esse passum & mortuum anno ætatis trigésimo quarto currente, ex quo facile intelligitur, quantæ calamitates Jubilæo trigésimo quarto, qui anno Christi 1647. initium capiet, corpori Christi mystico sint obventura. Pontifex Romanus in Castro Sanct. Angelico cruentam Concilii Tridentini executionem meditat. Jesuitæ hoc agunt, ut bellorum incendiis tota tandem conflaret Germania & novus Phoenix Hispanicæ Monarchiæ ex ejus cineribus nascatur. Negotiosus est Judas, discipulum Christi sese mentitus, hoc est, Spiritus Sacramentarius Augustanæ Confessionis societatem sibi arrogat. Conspirabunt Pilatus & Herodes in necem corporis Christi mystici. Cumque in crucem quasi acta videbitur Ecclesiæ, audiet Sarcasmos, opprobria & convitia. Sed brevi succedet gloriosa ex mortuis resuscitatio, in qua Christus Ecclesiæ Corpus suum mysticum ab omnibus passionibus liberatam in gloriam cælestis regni, & hanc sponfam suam ad gaudia cælestium nuptiarum introducet. Possent hæc omnia latius deduci & præfagium quoddam de futuro Ecclesiæ statu non absurdum vel improbabile institui, sed memores illius, quod Christus paulò ante suam ascensionem Apostolis dixit, Act. i. v. 7. Non est vestrum, nosse tempora vel momenta, quæ Patet poluit in potestate sua; Vela hic contrahimus & cuique verè pio & cordato latius de his cogitandi materiam subministratam esse confidimus, futuro interim eventui ac divinæ providentiæ complementum unicè committentes. Plura de his ipsis qui cognoscere desiderat, adeat luculentissimos Commentarios Theologi & generis & muneris & eruditionis & experientiæ sublimitate Nobilissimi atque Eminentissimi Dn. D. Matthiæ Hoe ab Hoenek, Comitibus Palatini Cæsarei, Serenissimo Saxonie Electori à consiliis Ecclesiasticis, Confessionibus sacris & Concioni-bus Aulicis primariis, Theologorum nostri seculi faciliè Principis, Fautoris & in Christo fratris nostri singulariter suscipiendi, quos in Apocalypsin Johannæam magno studio conscriptos Ecclesiæ Christi in hisce terris militanti communicavit.

Cæterum partem aliquam eorum, quæ Salvator noster in politia sua, (ita enim pii veteres Ministerium Christi, in his terris vocant), tum docendo tum faciendo peregit, ac quibus correspondent ea, quæ quolibet Jubilæo Ecclesiæ vel obvenerunt, vel adhuc obventura sunt, præsens hic tertius Harmoniæ continuatæ tomus complectitur, quem Illustrissimæ vestræ Celsitudini, Princeps Illustrissime ac Celsissime, humiliter inscribere volui, imò debui. Primum quidem, ut de præclaris ac Principe dignis virtutibus, cum primis de veræ religionis zelo, quo Illustr. V. Cels. divinitus ornata & armata est, publicum ferrem præconium, earumque memoriam posteritati, si qua futura est, commendarem, & æternitati securæ transferberem. Ut enim

Harm. Tom. III. f. Gerhard. Cont. pars ter.

* 3

reliquas

EPISTOLÆ

reliquas virtutes omnes, prudentiam scilicet, fortitudinem, munificentiam, justitiam, curam subditorum atque hujus generis alias silentii nube hac quidem vice involvam, vel hoc solo nomine Illustr. V. Cels. æternis laudum præconiis est dignissima, quod puram ac sinceram Evangelii doctrinam toto pectore amplectitur, eamque nullâ periculorum habitatione publicè confitetur & in ditionibus ac provinciis regimini suo subjectis propagari studio curat, quo fieri potest, maximo. Quo etiam sine stipendiarios in Academiis magnis sustentat sumptibus, ut ex illis idonei Ecclesiarum & Scholarum Doctores seligi possint, qui in locum aliorum vitâ functorum progressu temporis feliciter succedant. Ac quia Illustr. V. Cels. sincero veræ religionis cultu ejusdemque propagatione Deum honorat, ideò Deus promissionis suæ memor Illustr. Vestram Celsit. vicissim honoravit, i. Sam. 2. v. 30. actum Ecclesiæ tum Politicæ in Ducatibus ac terris Illustr. V. Cels. subjectis de idoneis Præsidibus ac *πρωτοβουλοῦ* benignissimè prospexit, ex quibus honoris causâ nomino, Magnificum, Strenuum, splendore generis, eruditione, Virtute, autoritate & magnis in Rempubl. meritis Nobiliss. virum Dn. Urbanum Casparum à Seilitsch / Hæreditarium in Kûebitsch / Schwarzbach / Sierba / &c. Consiliarium secretiorem & Cancellarium, qui in nupero Torgaviensi conventu eximiâ me complexus est benevolentia, Viros admodum Reverendos, Clariss. & Excellentissimos, Dn. Christophorum Schleupnerum SS. Theol. Doctorem & Ecclesiarum ac Scholarum in Marchionatu Brandenburgico Superintendentem Generalem, cum quò à multis annis fraterna mihi intercedit amicitia, & Dn. Johannem Stumpffium Superintendentem Byruthanum, cui Collegium Theologicum in hac Academia honores in Theologia summos, Doctores sc. propediem conferre meditatur. Tria isthæc lumina & columina. Clementissimus Deus, quàm diutissimè salva esse jubeat, ut fidelissimâ eorum operâ Illustr. V. Cels. magno cum terrarum sibi subjectarum commodo etiam porro uti frui possit. Altera hujus inscriptionis meæ causa est, quod exiguum aliquod grati & subjectissimi animi indicium erga Illustr. Vestr. Cels. extare volui, pro clementissimo affectu, quò Illustr. Vestr. Cels. me complecti à Magnifico Dn. Cancellario cum debita honoris præfatione paulò antè nominato, non ita pridem Torgaviæ intellexi, quem quò minùs meis promeritus sum servitiis, eò magis ad subjectissimam reverentiam eodem me obstringi agnoscò. Denique Illustr. Celsit. Vestræ nomen huic operi Harmonico præfigere volui, ut, quem in se non habet splendorem, ab eodem mutuetur, atque isthoc velut clypeo adversus obtræctorum insultus muniatur. Sereniore igitur fronte, Illustrissime Domine, chartaceum hoc munusculum suscipe & benevolentia clementissimæ radios in illud dirige, quod beneficium cum ratione aliâ compensare non possim, calidissimis votis Deum omnis boni fontem quotidie solicitabo, ut Illustrissimam Vestram Celsitudinem cum Conjuge Celsissima & Sobole Illustrissima quàm diutissimè salvam atque sospitem conservet, regimen pacatum, ac felix eidem concedat, ab omnibus corporis & animæ periculis in conclamatis hisce ultimorum temporum turbinibus potenter eam tueatur ac post seros vitæ in his terris felicissimè transactæ annos ad nunquam desitura Cælorum gaudia transferat, propter mediatorem & Salvatorem nostrum Christum Jesum in secula benedictum. Amen. Dab. Jenæ. Cal. Septembris Ann. 627.

Illustriss. V. Celsit.

Subjectissimè colens

Joh. Gerhard, D.

DEDI-



DEDICATIO PARTIS QUARTÆ
IN TOMO TERTIO.

SERENISSIMO, ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

JOHANNI GEORGIO,
SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MON-
TIUM DUCI, SACRI ROMANI IMPERII ELECTO-
RI, SEPTEMVIRO ET ARCHIMARESALLO, LANDGRAVIO THU-
RINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI, COMITI
IN MARCA ET RAVENSBURG, DOMINO IN RAVENSTEIN,
ELECTORI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO,



SERENISSIME ELECTOR, Domine Clementissime; quam-
vis in omnibus Prophetis & Apostolicis Scriptis divina qua-
dam vis atque ενεργεια ad διδασκαλιαν, ελεγχον, επανορθωσιν, ποι-
δειαν και παρηγοριαν efficacis apprehendatur, cum secundarii
illorum autores sancti Dei homines φεροντες τοιοις πνευματι-
ς αγιας, & locuti fuerint & scripserint, 2. Petr. 1. v. 21. negari ta-
men nequit, in Christi Ιεαν Ιωαννησ Saluatoris nostri verbis ac
factis, à sancta Evangelistarum quadriga annotatis, majorem
quandam & uberiolem vim atque δυναμιν ad percellendos ho-
minum animos efficacem animadverti. βραχεις ης παντομοι, scri-
bit Justin. Apol. 2. pro Christ. pag. 47. παρ' αυτις (Χριστ) λογοι γεγονασιν, ε ρησθησιν εσθησθησιν,
αλλα δυναμεις θεεσ ο λογοσ αυτις λεω. Propheta liquidem & Apostoli Spiritum sanctum ad
mensuram acceperunt, sed Christus hoc lætitiæ oleo præ confortibus suis unctus, Psal. 45. v. 8.
σικ ει μετεσ Spiritum sanctum accepit, Joh. 3. v. 34. Illi, quamvis Spiritus sancti organa &
amanuenses, homines tamen fuerunt, hic in personæ unitate est verus Deus & homo in se-
cula benedictus, Rom. 9. v. 5. Quantum igitur Dominus à seruo, Princeps à subdito, fons à
rivo dignitate ac præstantia differt, tantum quoque inter Christum & ipsius Ministros, Pro-
phetas ac Apostolos, discrimen intercedit, ac vicissim, quanto largior & uberior Spiritus san-
cti gratia in Christo, etiam ut homine, quam in Prophetis & Apostolis habitat, tanto quo-
que major in ipsius verbis ac factis efficaciam inesse censenda est. Verba, quæ loquor vobis,
sunt Spiritus & vita, dicit ipsemet Joh. 6. v. 63. Verè Spiritus quia profecta ab eo, qui est
peculiare & proprium Spir. S. habitaculum, super quem requiescit πνεμασ Spiritus Domini,
Esa. 11. v. 2. ac eo quidem modo, ut ex ipsius plenitudine hæc Cælestis unctio ad alios descen-
dat, Joh. 1. v. 16. Verè Spiritus, quia spirituales effectus, hominum scilicet illuminationem,
regenerationem, renovationem producant. Verè Spiritus, quia spiritualiter dijudicanda,
non ratione discutienda, 1. Corinth. 2. v. 13. nec carnaliter æstimanda. Verè vita, qui ex
fonte vitæ descendunt ac fidem in cordibus hominum atque eam mediante vitam operan-
tur æternam. Qui in me credit, inquit, ipse Christus, Johan. 7. vers. 38. hoc est, qui verba
mea audit, ac fideli corde recipit, flumina de ventre ejus fluent aquæ viva v. 39. hoc autem di-
cebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Inde est, quod cum ad turbas lo-
queretur, illa protinus obtupecerent super ipsius doctrinam, Matth. 7. v. 28. docebat enim, ut
Harm. Tom. III. f. Gerhardi Cont. pars quarta. * 4 habens